



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

Capvt LV. Punitorum monstrosa lepra, & monstrosa statua, è diuinis litteris
explicata.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

simiarum faciebus in pectore extantibus; quàm mammarum locus; oculis felium subtus umbilicum hypogastrico affixis; horridis ac minacibus canum capitibus ad utrumque; cubitum, & pedis utriusque; patellam antrorsum spectantibus. Figura pedis cygni, cauda sursum reflexa & recurua longitudine vltra dimidiã erat. Hic talis partus in lucem editus dicitur quatuor horas vixisse, ac tandem expirasse his emissis vocibus: *Vigilate; Dominus Deus vester aduenat.* Non est hoc monstrum in peccati pœnam natum? at natum est, ne peccaretur. Enimvero & in peccati pœnam. Dixit olim Seruator noster: *Nisi signa & prodigia videritis, non creditis;* quid dicet in futuro iudicio ihs, qui signa hæc talia viderunt, audierunt, & tamen non crediderunt? Nunquid pertinacia malitiam, malitia supplicium est auctura?

Ioan. 4. 48.

CAPVT LV.

*Punitorum monstrosa lepra, & monstrosa statua,
è diuinis litteris explicata.*

I.

Deuter. 6. 22.

4. Reg. 15. 5.

4. Reg. 5. 27.

Deuter. 24. 8.

Monstruosos vel homines, vel morbos, ex Numinis pœna extitisse diuinæ quoque litteræ testantur. Nam in primis fecit signa atque prodigia magna & pessima in Aegypto, contra Pharaonem; quæ nolo hic repetere. Deinde, in eodem veteri testamento lepra fuit flagellum, quo Deus rebelles atque eos, qui superiores maximè Ecclesiasticos contemnebant, percussit. Sic enim rex Ozias, cum vellet, inuitis sacerdotibus, incensum adolere, lepra percussus est. Sic Eliseus Giezi mentienti dixit: *Sed & lepra Naaman adharebit tibi, & semini tuo, usque in sempiternum.* Sic Maria perfusa est lepra, quod contra Moysen murmurasset. Immo hoc ipsa lex monuit his verbis: *Observa diligenter, ne incurras plagam lepræ, sed facies quæcunque docuerint te sacerdotes Leuitici generis, iuxta id quod præcepi eis, & imple sollicitè. Memento qua fecerit Dominus Deus vester Maria.* Vbi observant authores, tametsi lepra sæpe sit morbus, siue vitium naturale, tamen sæpe etiam ex speciali Dei providentia fuisse Iudæis immisam, maximè autem

autem ad grauiora eorum peccata punienda. 1. Murmuris & rebellionis, vt Mariæ sorori Moyſis contigit. 2. ob ſimoniam, vt Giezi euenit, pro ſanitate diuinitus Naaman data, munera accipienti. 3. ob homicidium, ob quod Dauid Ioabo Abner occidenti lepram eſt imprecatus. 4. ob ſacrilegiū, ob quod Ozias rex ſacerdotium uſurpans atque incenſum adolere, & vt dici ſolet, *in patellam dare* volens, à Deo lepra tactus eſt. Quemadmodum ergo ſeruos vanales Romani cretâ, ita diuina Nemefis impios Iudæos leprâ notauit. *Et ecce Maria apparuit candens lepra quaſi nix*, ex formoſa heroide in luridam & monſtroſam laruam commutata.

Vitium autem iſtud lepræ monſtroſum fuiſſe, varia oſtendunt. Nam 1. cuiuſcemodi lepra in pœnam à Deo inflicta, non inflicta eſt modo naturali, ſed diuinitus, repente, verbo vno, vna imprecatione, cùm lepra alia, vel contagio, vel corrupto paulatim ſanguine, aliòue humore exuperante acquiratur. 2. Eſt lepra illa Iudæorum ſimilis fuerit veteri lepræ Græcorum, non tamen ex ſimili cauſa nata eſt. De Græcorum lepra ait Hippocrates: *Lepra, & pruritus, & ſcabies, & impetigines, & vitiligo, & alopecia à pituita ſunt; ſunt autem turpitudine magis, quàm morbi.* Hæc autem turpitudine, licet aſpectu ſimilis ſit lepræ Græcorum, non tamen ſimilis eſt ortu. Illa ex pituita, hæc ex Dei pœna, illa naturaliter, iſta diuinitus vnde vnde pullulauit. 3. Eſt tam Iudæorum quàm Græcorum lepra, vt docet Franciſcus Valeſius, varia vitia & turpitudines externi corporis comprehendat, quorum vnum naſcitur ex alio, idque in naturali lepra ex redundantia pituitæ, vel melancholiæ, per variam alterutriuſ ianſionem, aut remiſſionem; & Deus quiuerit etiam hiſ humoribus aëre corrupto, leproſi contactu, tanquã cauſis ſecundis vt ad plectendos Iudæos, non videtur tamen iſs uſus; quia hæc omnia vim propriam & adæquatam in veſtibus & muris gignendi lepram non habuerunt, niſi Deo ſingulariter concurrente & inoperante. Quis etiam melancholiæ aut pituitæ aſcribat lepram manus in Moyſe, tam citò natam & rurfus denatam? ad quem dixit Dominus: *Mitte manum tuam in ſinum tuum. Quam cùm miſiſſet in ſinum, protulit leprouſam.*

Ecccc

Num. 12. 10.

4 Reg. 5. 27

2. Reg. 3. 19.

4. Reg. 15. 5.

Num. 12. 10.

II.

Hippocrat. lib. de Affectionib.

Franc. Valeſius lib. de ſacr. Philoſ. cap. 19.

Exod. 4. 6.

sam instar niuis. Retrabe, ait, manum tuam in sinum tuum, Retraxit, & protulit iterum, & erat similis carni reliqua. Quæ tam subito erumpens, ac rursus euanescentes lepra, instar monstri ac prodigij, Moyfi est exhibitæ, nullâ utique in corpore eius pituitâ, aut melancholiâ intensâ vel remissâ. Multo minus in veste, vel muro pituita, aut melancholia aliqua potuit esse lepræ causa. 4. Adde quod, ex doctrina S. Augustini, vetus Iudæorum lepra sæpe coloris magis fuerit vitium, quàm valetudinis, aut integritatis sensuum atque membrorum. Quæ de causa leprosi à Christo non sanati, sed mundati esse scribuntur, & ipsi quoque leprosi non tam sanari, quàm mundari cupiebant: *Et ecce leprosus veniens adorabat eum dicens: Domine, si vis potes me mundare. Et extendens IESVS manum tetigit eum dicens: Volo, Mundare. Et confestim mundata est lepra eius.* Et infra: *leprosi mundantur.* Quin & ad Apostolos ait: *Infirmos curate, mortuos suscite, leprosos mundate, &c.* Quoniam ergo nostra lepra carnes & ossa depascitur, Iudæorum autem ferè tantùm in cute fuerat, sunt qui existiment, vel hinc sufficientem sumi differentiam posse. Quanquam ego hoc non ita firmum censeam: etsi enim id potuerit subinde esse discrimen, tamen de Maria Moyfi sorore ita loquitur Aaron: *ecce iam medium carnis eius deuoratum est à lepra.* Serpebat ergo lepra illa & carnem corripiebat, immò deuorabat. 5. Igitur firmitus est indicium illud, quod lepra nostra sit ferè incurabilis, lepra autem Iudæorum sæpe fuerit curata, sicut frequenter vnus idemque morbus in alio climate alius est, aliaq; habet symptomata. Curari autem potuisse lepram Iudæorum, constat è diuino codice. 6. Illud profectò liquidum est, nostrâ à leprâ neque vestes, neque domos corripì, vt fiebat à lepra Iudæorum. Quæritur sanè, quo modo lepra illa potuerit muro aut vestibus accidere? Ad quam quæstionem respondet Valesius, cum lepra sit morbus non minùs quàm pestis contagiosus, sicut pestis semina solent adhærere vestibus, cubiculis, domibus, poculis, lacibus (per hæc enim omnia accidit fieri infectionem) ita pariter etiam lepram posse vesti aut muro adhærere, esseque posse domum aut vestem æquè leprosam ac pestilentem.

Sed

S. Aug. lib. 2.
Quæst. Euan-
gel. q. 40.

Matth. 8. 2.

Matth. 11. 5.
Matth. 10. 8.

Num. 12. 12.
Leuit. c. 13. &
c. 14.

Sed verosimilius Theodoretus ait, domos aut vestes olim non dictas fuisse tantum idcirco leprosas, quod vapores noxios & contagiosos haberent, & homines inficerent; sed quod ipsa infecta, non secus ac homines eroderentur. Constat enim, Deum olim, dum peccarent Iudaei, lepram hanc infligere solitum vestibus, aut domibus eorum, ut per eam possessores ad sanitatem mentis reuocaret. Quia igitur lepra haec non tam naturalis fuit, quam plaga à Deo immissa, videtur fuisse qualitas quaedam corrosiva (qualis est in sale, nitro, vitriolo, quae vestes & stannum, & ferrum exedunt) vel corruptiua solis Iudaeis propria, alijs Gentibus ferè incognita. Vbi enim, aut quae nunc vestes, qui parietes leprae non faciendae, sed etiam patiendae sunt capaces? Capaces fuerunt vestes & parietes Iudaeorum. Vnde monstruosa res fuit illa lepra. Certè nunc lepra propriè non se diffundit à leproso in vestes, vel domum eius, oporteret enim omnes leproso vestes arrodi, & putrescieri. Esto autem, sicut pestis vesti aut domui adhæret, eamque reddit homini pestilentem, dum ex ea vapores pestilentes contrahit, haud tamen vlla pestis vesti vel domui ita inhæret, aut ita eam inficit, ut illam consumat & interimat. Igitur lepra nunc non inhæret, sed adhæret tantum vesti, aut domui, neque eam facit leprosam formaliter, ut olim, sed tantum causaliter, quia eam homini afflare potest. Quanquam autem etiam nunc aliquam subinde cariem in lignis, calce & lapidibus reperimus; non tamen ea est talis lepra, quae novos quoque solidosque lapides inuadat, erodat & absumat, ut olim lepra Iudaica. Vnde iussi sunt omnes lapides lepra infecti ex domo eximi, & noui substitui, qui si postea lepra infecti inuenirentur, jubebatur domus dirui; adeo etiam muri tunc ipsi leprosaliter, ut ita dicam, ægrotauerunt.

Quid leproso deformius? immo, si lepra est monstrum, quid monstruosius? Horrorem hunc Mundi moderatores, in Iudaeis ostendit, ut peccatum, causam illius, horreamus. Est enim peccatum animæ lepra, maximeque illud, quod lepra legitur fuisse punitum. Murmurauit contra Moysen soror, & lepra percussa est. Appositè, ita culpa & poena congruebant.

Eccce 2

Quippe

Theodoretus
q. 17. in Leuit. c. 13

VI
Leuit. 14. 44
Ita fere Cornel. à Lapid. in Leuit. c. 13

III

Leuit. 13.

S. Ephrem de morbo linguæ.

Quippe murmuratio instar lepræ serpit, & inficit totum ali-
quod corpus communitatis. Qua de causa sicut leprosi olim
iussi sunt e castris eijci, & habitare seorsum, ita eiecta est e ca-
stris murmuratrix Maria; ita SS. Patres, & Religionum fun-
datores statuerunt, ut e coetibus sacris murmuratores separa-
rentur. *Ex teterrima Maria Prophetissa lepra docemur*, ait S.
Ephrem, *quàm graue & detestabile vitium sit obtreclatio. Corpus,*
quod lepra infectum cernebatur, velut speculum quoddam fuit ani-
me, qua non perspiciebatur, cuius indicabat maculam. Ex illa cor-
nis corruptione patefactum est, quo modo hominis detractoris cor-
rumpatur animus. Nam sicut illa defecerat à fratre suo: ita & ab
ipsa proprium corpus defecit, ut ex semetipsa charitatem addidisset.
Quod si autem & ipsa Mariæ murmuratio expendatur, poterit
ea leuis videri; contigit enim ob Sephoram Madianitidem, &
idcirco *Athiopissam* vocatam, quæ more muliebri voluit se
præferre Mariæ, eò quòd esset uxor Moysi, Moysenque suum
quasi populi ducem Mariæ & Aaroni prætulisset. Itaque ut
muliebris sexus imbecillis est, primùm concitata Maria, dein-
de per hanc incitatus etiam Aaron, se erigere ceperunt, non
Sephoræ tantùm, sed ipsi etiam Moyse æquantem, iactantem-
que, se æquè nobiles esse Prophetas, ac Moyses erat. Hæc inter
sanctos illos, & Mariæ illius, cui Dominus locutus fuerat, ex
æmulatione orta murmuratio lepram meruit, in diuino iudi-
cio, & septem dierum separationem.

IV.

Leuit. 13.
S. Ephrem de morbo linguæ.

371

Num. 12. 2.

Quid merebitur murmuratio non iam muliebris, sed vi-
rorum, & eorum, qui se doctos, qui religiosos, qui sanctos vo-
lunt haberi, & tamen re ipsa sunt arrogantes, Theones, supe-
riorum suorum censores, quibus se non æquant modò, sed
etiam anteponunt, qui rectores suos regere, & indices volunt
iudicare? hoc ipso indigni qui regant, quia regi nesciunt; sola
sua æstimatione idonei, aliorum iudicio inepti ad gubernan-
dum. Et videbis, non nisi vilissimos, & grandibus nauis ple-
nos esse suorum maiorum contemptores, censores, murmura-
tores; siquidem superbia & æmulatione cæci aiunt: *Num per*
solum Moysen locutus est Dominus? nonne & nobis similiter est locu-
tus? quali Deus nesciat, quem subditum debeat facere, aut su-
periorem,

periores. Habet diuina illa sapientia suas iustissimas causas, cur aliquando etiam ineptiorem sinat alius promoueri, & digniorem premi. Fortasse vult & illum sic deiici, & hunc extolli. Sicut enim valde honorificum est, si queratur, *Cur iste non regit? Cur iste non est militia Dux? Cur iste non sedet in curia?* ita profecto tacite carpit, quisquis interrogat: *Cur regit iste? Istene est militia Dux?* aut cum Catullo dicit:

Quid est, Catulle, quid moraris emori?

Sella in curuli Struma Nonius sedet:

Per consulatum peierat Vatinius.

Quid est, Catulle, quid moraris emori?

Catull. ep. 53.

Ita vulgus loqui solet, vulgum tu sine suo more loqui; tu tibi sororem Moysis ante oculos pone, & Dei regimen ne inuade; qui si mulieris vnicam murmurationem lepra percussit, eamque quasi infamem, & non tantum fratris aspectu, sed etiam populi consortio indignam a castris separauit, quid illis faciet, qui non sola arrogantia sunt huic mulieri similes, sed etiam carpunt, quidquid a superioribus fieri cernunt; quod sanum est, sanare presumentes, cum ipsi vlceribus scateant. Quibus nisi Moysis soror in exemplum sufficit, legant apud Raderum historiam de Stylita Edesseno, qui quod fratrem suum germanum, aurum spernentem, simplicem iudicasset contempissetque, eò quod ipse idem aurum prudenter, vt sibi videbatur in viros Religiosos & pauperes erogasset; ab Angelo redargutus, ac a fratre suo germano in omnem vitam separatus, iussusque quadraginta nouem annos stare in columna, post tam longam & duram poenitentiam, tandem veniam meruit, anno quinquagesimo, siue iubileo. Tunc enim apparens ei Angelus, peccatum remissum, eumque Dei gratia restitutum nunciauit. Si eadem vel Mariae poena, vel Stylitae poenitentia omnibus murmuratoribus nunc imponeretur, neque leproforum domus, neque columnae sufficientes possent edificari. Sed qui, vt poenitentiam agant, nihil patiuntur, aut non stant in columna, ante Dei tribunal stabunt.

Ma'th. Rader. de simplic. SS. c. 7.

Id multo magis verum esset, si lepra affiendi forent, qui vel per homicidia cum Ioab, vel per Simonias cum Giezi, vel

Eeeee 3 per

per sacrilegia, cum rege Ozia lepra contaminari merentur. Quot cædes fiunt innocentium, quæ non candida lepra, sed purpureo sanguine notantur! Quot vestes, quot calices sacri venduntur & emuntur! quot aræ, quot templa sacrilegè violantur! Hi omnes si impetigine, aut alopecia cooperti in certum locum forent separandi à sanis, totæ forent extruendæ pro eis ciuitates, sed sat pœnæ eos manet, si à societate ciuium supernorum separantur. Ad quam, vt è numero monstrorum exempti admittantur, Christus animarum medicus, in leprosis à se sanatis, viam monstrauit, quando decem leprosis sibi occurrentibus & dicentibus: *IE SV miserere nostri*, respondit: *Ite, ostendite vos sacerdotibus. Et factû est, dñi irent, mundati sunt.* Nimirum sicut leprosi in lege veteri erant quasi irregulares, eò quòd non tantùm naturaliter, sed etiam legaliter essent immundi; adeoq; nò tantùm ab hominum cõuictu, verùm à templo quoque & sacris arcerentur: ita peccatores omnes in lege noua sunt immundi, ac proin indigni cõfortio Sanctorum, à quorum cælesti domicilio, & beato illo Agni templo arcentur. Quemadmodum igitur illam leproso- rum irregularitatem non medicus, sed sacerdos poterat tollere; cui propterea se sistere debebant, vt expiarentur, ac sacris, iuxta ritum, quem Deus præscripsit, restituerentur: ita se debent & nunc sacerdoti sistere, & accurata omnis labis suæ patefactione, per confessionem, & sacramentalem confessionem, sicut Christus instituit, ostendere, vt ab illo absoluantur, diuinæq; gratiæ, & in ius hæreditatis cælestis restituantur. Atque hæc de monstruosa Iudæorum lepra.

Luc. 17. 14.
Matth. 8. 4.
Luc. 5. 14.

Leuit. c. 14.

VI.

Quod si quis aliud è diuinis historijs monstrum sibi cupit ostendi, quòd in peccati supplicium sit datum, potest id sanè, & quidem luculentum, cui ad memoriam perpetuandam statua est posita. Nam si vel Poëtæ in monstris numerant periurum illum Battum, quem Mercurius vertit

Ouid. lib. 2.
Metam.

In durum silicem, qui nunc quoque dicitur Index.

Inq; nihil merito verus est infamia saxo.

Gen. 19. 26.

Cur in monstris non habeatur vxor Lot, qua respiciens post se, uersa est in statuam salis? Vatablus vertit in statuam perpetuam, quæ

quæ versio et si minùs propria est, cum passim authores agnoscant, eam mulierem propriè esse in statuâ salis conuersam; tamen illud innuit, quod de ea Tertullianus scripsit, eam durasse ad multa sæcula; immò quod alij asseruerunt, eam ære perennius superfuisse. Siquidem Borchardus, qui vixit ab hinc trecentis annis, testatur hanc statuam, sua adhuc ætate, inter Engaddi & mare mortuum extitisse; eamq; etiam sua adhuc ætate visam docet Adrichomius & Abulensis. Enimuerò Targum Hierosolymitanum addit, statuam hanc duraturam, vsque ad diem extremi iudicij & resurrectionis. Christus sanè Dominus voluit memoriam eius perennare, quando dixit: *Mementote vxoris Lot.* Voluit ergo Deus statuam illam effigie mulieris, & retenta vxoris Lot forma æternum esse iustitiæ suæ monumentū. Nec mirum videri debet, si sal alioqui aquis diffluens, tam diu possit pluuias ac tempestates sustinere. Est enim sal quoddam metallicum, quod imbribus resistit, & ipsis ædificijs soliditate sua est vtile. *Africa*, ait Plinius, *circa Viti- cam construit acervos salis ad collium speciem: qui ubi sole lunaq; induruerè, nullo humore liquecunt, vixq; etiam ferro caduntur.* Eiuscemodi salis statua vtique potest & nimbos & hiemes tollerare. Præsertim si miraculo conseruetur.

Luc. 17. 32.

Plin. lib. 31.
cap. 7.

Nam inter mira & monstrosa huius statuæ, non est sola conuersio eius ex homine in lapidem, quæ vim naturæ superat; neque sola eius duratio, siquidem aliàs & marmora suam patiuntur senectutem, & nihil non

VII

auti longinqua valet mutare vetustas;

sed etiam modus conseruandi. Etenim, quod idem Naturalis historiæ scriptor de sale, qui alicubi in extremitatibus aquarū inarescit, alicubi vsque ad medium locum coquitur, scribit: *Aliud etiam in eo mirabile, quod tantumdem noctu subuenit, quantum die auferas,* id ipsum longè in hac statua mirabilius est. Afirmat enim Tertullianus, statuam hanc, si à quopiam mutiletur, mox hoc mutilum quasi vulnus suum sarcire & implere. Accedit & illud prodigium mirissimum, si verum, quod, tamen si statua isthæc eadem & tumultum agat & tumultatum; vt proinde illi accommodari illud ex Græcorum Epigrammatis possit;

Plin. loc. cit.

Cadaver,

Cadaver, nec habet suum sepulchrum;

Sepulchrum, nec habet suum cadaver:

Sepulchrum tamen, & cadaver unà est;

etsi, inquam, hæc statua & cippus sit, & cui cippus ponitur, nihilominus viuere quodammodo videtur. Siquidem viuentis more quasi menstrua quædam effundit. Non referrem hoc, nisi apud Tertullianum reperirem affirmatum. Verba illius do carminibus innexa.

Tertull. in
carm. de So-
doma,

Ipsaq; imago sibi formam sine corpore seruans

Durat adhuc, nunquã pluuijs, nec diruta ventis.

Quin etiam si quis mutilauerit aduena formam,

Protinus ex se se suggestu vulnera complet.

Dicitur & viuens alio iam corpore sexus.

Munificos solita dispungere sanguine menses.

VIII.

Sufficit hoc iaxo, aut sale sanguinante monstrum, in quod mulieris istius corpus abiisse, nefas est dubitare. At cum vxor Lot dicatur *versa* esse in statuam salis, quærent nonnulli, An etiam anima illius cum corpore sit in statuam commutata, profectò enim illi tum anima pro sale, & sal pro anima fuisset, essetque prodigium tantò magis formidolosum. Et sunt rationes dubitandi. Sacra enim historia rotundè asserit, vxorem Lot in statuam salis abiisse; at vxor constat æquè, immo magis anima, quàm corpore. Quin ipsa id videtur scriptura innuere his verbis: *Incredibilis* (hoc est, incredula) *anima memoria stans figmentum salis.* Sed hæc nihil euincunt. Consuetum est in diuinis litteris, vt nomen *anima* pro toto homine sumatur, nota Rhetoribus figura: *Qui ergo receperunt sermonem eius, baptizati sunt: & apposta sunt in die illa anima circiter tria millia,* id est, homines. Quòd autem absolutè vxor dicatur *versa* in statuam salis, rectè dicitur, etsi anima eius nò sit in statuam salis *versa*. Quod enim viuo corpori contingit, toti homini dicitur contingere. Sic homo dicitur mori, etsi anima non moriatur. Quoniam igitur conuersio vxoris Lot in statuam salis fuit mors eius, & in morte anima non interit, sed solum corpus viuum mutatur in cadaver, conficitur solum corpus vxoris Lot in statuam salis conuersum fuisse. Constat etiam

Sap. 10. 7.

Act. 2. 41.

etiam animam incorpoream in corpus seu statuam non potuisse proprie transmutari; neque verò etiam interire, tanquã immortalem. Neque sufficiens causa videtur fuisse, vt Deus faceret animam illam interire, cum ob peccata longè grauiora animas aliorum non extinxerit; neque ob leuiora, quamuis ipsa mallent in nihilum redigi, quàm æternis ignibus excruciaci. Neque verò id ad exemplum hominibus erat profuturum. Ad exemplum enim suffecit, corpus visibile in statuam visibilem fuisse transformatum. Stat ergo ex homine statua, & statua salis; stat forma mulieris sine muliere, stat stabit que monstrum & diuinæ iustitiæ monumentum.

Quandoquidem autem anima cum corpore non interiit, scire voles, quò ipsa abierit? Curiosa quæstio. Difficilis responsio. Quis enim inspexit diphtheram Iouis; quis vidit tabulas æternitatis? aut quis consiliarius Dei fuit? De hac tamen anima, sicut de Samfone, de Salomone deque alijs disputatur. Cornelius ita concludit: *Itaque anima huius uxoris, corpore conuerso in statuam, superstes mansit, atq; iuit ad infernum, aut potius Purgatorium: videtur enim hæc eius retrospectio venialis tantum fuisse culpa.* Respexit enim vel ex muliebri leuitate, & curiositate; vel quia pluuij sulphuris de cælo cadentis sonitu, strepituque ignis tecta domosque cum furore corripientis, aut etiam pereuntium vociferatione mota fuit; vel quia dolorem rerum amittendarum, ac miseratione ciuium suorum, patriæque suæ conflagrantis tracta sui oblita est; vel quia extimuit, ne & ipsam sequens à tergo flamma inuaderet. Quis Petrum censeat mortaliter peccauisse, quando *conuersus vidit illum discipulum, quem diligebat IESVS sequentem, & interrogauit, Domine hic autem quid?* Cur ergo tam subito ac seuerè ista muliercula est punita? Quia inobediens & vt scriptura loquitur, *incredibilis*, hoc est, incredula fuit. Haud enim credidit, aliquid referre ad salutem & incolumitatem suam, respicere, aut non respicere. Qua in re Dionysius Carthusianus existimat, illam mortaliter peccauisse. Petro autem non mandatum fuit, ne respiceret; neque ea in re incredulus fuit. Fuit ergo feminæ illius curiositas ex duplici capite peior. Alij tamen eam à peccato

IX.

Cornel. à Lapid. in c. 19.
Gen. v. 26.

Ioan. 21. 20.
Sap. 10. 7.

F f f f

cato

cato mortali excusant, tum ob inconsiderationem, tum ob leuitatem materiæ, tum ob ignorantiam quandam, aiunt enim venialem duntaxat hanc culpam fuisse, non solum quia nimio metu percussa subitò, præcipitauer, & indeliberatè respexit, quæ ratio mihi quoque probatur; sed etiam quia non respicere leuis illi visa sit res ac materia, atque eapropter non scierit, aut iudicauerit, illam sub peccato mortali præcipi aut obligare. Quæ opinio an excusandæ curiositati sufficiat, apud me non est liquidum. Potuisset & Eua leuitatem & exiguitatem materiæ, pomi scilicet esum, obtendere; sed sciuit satis graue esse, quidquid à Deo præcipitur, atque mortis comminatione vetatur. Ita & vxor Lot audiuit ab Angelo non solum Lot marito, sed sibi quoque & filiabus dici: *noli respicere postergum, nec stes in omni circa regione: sed in monte saluum te fac, ne & tu simul pereas.* Satis ergo scire poterat, graue esse, quod tam grauis pœnæ intimatione prohibetur. Sed *incredibilis*, seu *incredula* fuit. Itaque si illam aliquid excusat, impetus excusat, qui in tali rerum statu potuit rationem præuenire. Plurimumque enim affectus subitus caret libertate.

Gen. 19. 17.

X.

Hebr. 10. 31.

Apoc. 19. 2.

3. Reg. 13. 24.

Sap. 10. 7.

Siue autem lethaliter, siue venialiter peccarit, perspicuè inde cernitur, quàm sit *horrendum incidere in manus Dei uiuentis!* *Iusta sunt iudicia eius*, quæ si ob eiusmodi vel incredulitatem, vel inobedientiam, vel curiositatem, siue mortalem, siue venialem, tam seuerè punit; quid non metuendum erit ob scelera nefanda? Nam etsi Hebræi, teste Lyrano, aiunt, vxorem Lot idecirco in statuam salis esse compactam, quòd vespere præcedente, cum Lot Angelos exciperet, in cœna non apposuerit salem, quo cibi condiuntur, idque ex gentilitio hospitum & hospitalitatis odio, fabula tamen illa est Iudaica. Vera causa est, vt, quemadmodum postea Deus, ob inobedientiam tantum venialem, Prophetam à leone occidi iussit, alijs in exemplum; ita & vxor Lot in statuam salis verteretur, vt esset quasi marmor & monumentum perenne diuinæ castigationis. Hoc enim exemplo docemur. 1. Credere Angelis, diuinis suggestionibus, bene monentibus. Idcirco enim *Incredibilis anima memoria stans figmentum salis*, nos adhortatur. 2. Docemur obedire

obedire, & nō tanquā leue contemnere, quod jubet Deus, fugerit Angelus, monet Concionator. 3. Docemur, teste Philo Cyprio, oculos continere, atque à curiositate abstinere. Si nocuit videre supplicium, quid damni feret intueri scandalum? *Vt vidi? ut perij?* potuit dicere vxor Lot. Quot, & quantum iuuenes, viri, senes, pueri & puellæ dicere possent? Posset id dicere Dauid; possent dicere duo senes, quorum ille à lauante Bethsabea, isti à lauante Susanna oculis venenum hauserunt; posset id dicere Puthipharis vxor, quæ mœcha facta non esset, nisi Iosephum perulantibus oculis respexisset. Punita est vxor Lot, quòd ad terribile illud supplicium, quo impuri Sodomitæ vltulabantur, oculos reflexisset; qua pœna digni erunt, qui, quod opere consequi non possunt, saltem oculis venantur; vt, dum vsus non conceditur, aspectu satientur? 4. Docemur, *qua retro sunt, obliuisci, ad ea verò, qua priora sunt, extendere nos ipsos, ad brauium superna vocationis Dei in Christo IESU.* Neque enim bene cœpisse sufficit. Quàm multi bene cœperunt, sed exciderunt? Non vanè Psalmus Cantici Asaph titulum præfigit: *In finem ne corrumpas.* Insistendum est bonis cœptis, non respiciendum. *Vxor Lot salis statua effecta, suo exemplo fatuos condidit,* ait S. Prosper, *in proposito sancto, quo tendunt proficientes, noxia curiositate retro non debere respicere;* ac repetere Mundi & carnis voluptates. D. Augustinus hæc inculcat apostatis, qui calcato castitatis voto, ad vomitum respiciunt. Christus vniuersim hoc exemplo monet eos, qui bene cœperunt, vt perseuerent. *In illa hora, qui fuerit in tecto; & vasa eius in domo, ne descendat tollere illa; & qui in agro similiter non redeat retro. Memores estote uxoris Lot.* Et alio loco: *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei.* 5. Docemur, quàm nihil sine causa iubeat Deus. Posset videri nimis rigidus, dum tam seuerè vetuit, ne Lot cum suis retro respiceret, aspiceretue Sodomam fumantem. Sed habuit eius rei multas grauesque causas. Ita enim se Dominus ostendit, cum mandatum dedit. Ita illi se seruos exhibuissent, si omnes obediuissent. Ita demonstrauit Deus detestandam, consceleratæ gentis abominationem, vt quam à suis respici

Philo Cypri
in catena.

Phil. 3. 13.

Psal. 74.

S. Prosper. l. 1.
de Prædict. &
promiss. c. 16.
S. August. in
Psal. 75.

Luc. 17. 31.

Luc. 9. 62.

Ffff 2 nollet 3



Matth. 10. 14.

nollet; ne quis pereuntium miseratione tangeretur. Ita volebat omnem memoriam nefandorum hominum ex animis sanctorum & purorum deleri. Ita demonstrabat, adeo execrandos Sodomitas, vt Lot, & familia eius, ne de supellectili quidem, aut domo, ceterisque bonis suis vnà cum impia vrbe conflagrantibus cogitare, aut dolere deberet. Nam sic etiam Christus iussit Apostolos excutere puluerem de pedibus in eos, qui Euangelium auersarentur, vt hoc signo manifestum facerent, se cum tam nefarijs hominibus nihil, ac ne puluisculum quidè velle habere communem. Ita denique non solum Deus Sodomam relinquentibus occasionem dedit, vt nullum in illis penitentia signum, quale est respicere, videretur; sed etiam, vt instante incendio quàm cirrissimè fugerent; sicut è domo fugiunt homines incendio iam illam depopulante. Hoc vos ergo monstrosa vxoris Lot statua docet, ò iuuenes, detestari, fugere; & si fugitis, non respicere mundum & vanitates eius Auernali incendio proximas. Hoc vos docet, ò peccatores, statua falis, deserere malos, horrere præterita, ac neque oculis, neque mente respicere ad puluinas illecebras: denique iudiciorum Dei, cum timore ac tremore meminisse.

CAPVT LVI.

Quantum ex rege Nabuchodonosore, & ob qua peccata, monstrum factum sit?

I.



Adenus pœnam minùs atrocibus peccatis monstruositate repositam palam fecimus: nunc maioris monstri maiora delicta prodigiosè punita è diuinis litteris producemus. Apud Poëtas, monstrum ingens erat Inachi filia Io in iuuenecam mutata; & grandius Iuppiter ipse, qui illam fingitur mutauisse. Nimirum

Ouid. lib. 1.
Mct.

Idem. lib. 2.
Mct.

Sceptri grauitate relicta

*Ille pater rectorq; Deum, cui dextra trifidulis
Ignibus armata est, qui nusu concutit orbem,
Induitur faciem tauri, missusq; iuuenis
Mugit, & in teneris formosus obambulat herbis.*

Formo-